

V. KÉRDŐ ÉS VONATKOZÓ NÉVMÁSOK

1. Quis Dionem Syracosium doctrinis omnibus expolivit? Non Plato?
2. Qui huius dolor, qui illius maeror erit!
3. De praemiis autem quaeruntur duo: an ullo sit dignus qui petit, an tanto: ex duobus, uter dignior, ex pluribus, quis dignissimus.
4. Quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione divina?
5. Quis fuit igitur? - Iste Chaerea. / - Qui Chaerea? - Iste ephebus frater Phaedriae.
6. Et nos peregrini regnavimus; qui sis, non unde natus sis, reputa.
7. Nunc speculabor, quid ibi agatur, quis eat intro, qui foras veniat.
8. Quae hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui.
9. Is Lilybaei multos iam annos habitat, homo et domi nobilis et apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus et gratiosus.
10. Hoc maxime modo Syracusae captae; in quibus praedae tantum fuit, quantum vix capta Carthagine tum fuisset.
11. Ea est Romana gens, quae victa quiescere nesciat.
12. Patres conscripti, qui Hannibale vivo numquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flaminium, qui ab rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet sibi que dederet.
13. Quis est, qui C. Fabrici, M'. Curi non cum caritate aliqua benivola memoriam usurpet, quos numquam viderit?
14. Hostem qui feriet, mihi erit Karthaginiensis, / quisquis erit, cuiatis siet.
15. Cum sui utrosque adhortarentur, deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, feroces in medium inter duas acies procedunt.
16. Quicquid iustum sit, id etiam utile esse censent, itemque quod honestum, idem iustum, ex quo efficitur, ut, quicquid honestum sit, idem sit utile.
17. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut, quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur.
18. Alius alia ex navi, quibuscumque signis occurrerat, se adgregabat..
19. Quoscumque de te queri audivi quacumque potui ratione placavi.
20. Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo.
21. Proinde desinant quidam quaerere ultra, aut quidem vetustissima nave impositos quocumque vento in quascumque terras iubebo avehi.